

027

025

031

021

036

016

076

126

526

Ende

Anfang

16

mora occidunt. Satrapis ergo missis praesentibus in mense Decembri
incident cultores acutis lapideis vel osseis cultellulis stipites, solum
in superiori vel exteriori cortice, quae tenuissima est, et si inci-
sio non caute fiat, ita, quod cultellulo stipitis corpus nudum
tangatur, mox arbustum exarescit; nec quicquam exstillat, si inci-
sio ferreo vel metallico instrumento fiat, quia contactus metalli
noxius est illi arbori.

Incisione facta suspendunt ad ramos incisos vitra parva sub
vulneribus. e quibus pulchrae rorant suavissimae lachrymae in ipsa
vitra et paulatim (**B**) stillicidas recipiunt, quibus repletis accedunt
satrapae et liquorem in aureas phialas fundunt et hoc singulis
diebus faciunt per mensem illum, in quo tribus vicibus incidentur
cypri. Et hoc est balsamum primum et probatissimum, quod omne
praesentatur domino Soldano, cuius ipsemet dispensator est et
cui vult praebet et communicat.

Hoc balsamo sic destillato consequenter in sequenti mense
accipiunt cultores arbustulas incisas et radicitus evellunt et magna
vi ac multis modis adhuc balsamum extrudunt per ignem et per
pressuras sub prelo. Sed et de semine liquorem evocant pres-
suris et actione ignis. Et ideo balsamum est valde inaequale,
primo, quia in his pressionibus et exusionibus distillant liquores
alii, longe a natura balsami, etiamsi odorem participant. Hoc
solum est balsamum probatissimum, quod purum de camera domini
Soldani venditur et raro nisi sophisticatum invenitur alias.

De hoc balsamo quatuor potentissimis regibus suis convicinis
encaenia transmittit, scilicet Magno Cham de Catheji, Presbytero
Johanni de India, Xanssa domino Tartarorum et Magno Turco,
imperatori Turcorum, et si quem alium principem magnifice hono-
rare vult, mittit ei tamquam pretiosius auro, argento et lapide
de pretioso illo nobilissimo liquore, sicut legimus in chronicis,
quod Soldanus, audiens famam Friderici primi, Imperatoris, misit
sibi vas aureum, smaragdinum, balsamo plenum, quod accipiens
imperator cum plurimum munus appetiasset et miratus vasis
pulchritudinem multum laudasset ac Soldani liberalitatem commen-
dasset, subjunxit: cum, inquit, sim mundi dominus, non decet me
possidere tantum thesaurum solum, dividam ergo cum aliis. Et
hoc dicto vas cum impetu projecit in terram et in multa confregit
frusta et circumstantes ad colligendum effusum et per pavimentum

